



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Initiatus sacris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

INITIATUS SACRIS. CAP. XLII.

Sacra lite-
ra ut Cicada.

Aegyptii Sacerdotes hominem sacris initiatum, & mystica disciplina peritiam affectum, per Cicadam significabant, in eam scilicet admirationem adducti quod animal tam exiguum nullo oris commodo non faucibus, non lingua praeditum, tam argute caneret tamen, tamque altum infonaret. Esse hujus instar doctrinam mysticam, & suas praesertim literas, quae nullo syllabarum complexu, nulla partium orationis textura constructa, sed sola animalis cujuscumque, vel alterius rei representatione, absoluta significationis orationem facere videantur, quae sese longe diverso ab aliis literis modo legendam exhibeat. Putabant vero Aegyptii Cicadam, ut apud Horum legere est, per aculeum, emodulari, quod motu suo stridorem ceteret, veluti pletrum quo citharae pulsantur: ore quippe caret Cicada, eademque caeca est, prolixum tamen quiddam, compactum indivisumque gerit, simile ei quod linguae speciem refert in iis, quibus aculeus in ore est, eoque ipso rorem haurit, quod unum illi & peculiare est alimentum. Unde apud Maronem:

Dum cythrae pascentur Apes, dum rore Cicada.

Ceterum de sono diversa est aliorum sententia: quippe qui attritus sit interioris spiritus. Quinetiam experimento compertum est, Cicadam non canere per oris aculeum, sed colliso, attrito agitatoque frequenter cavo utero, quod pueri digitorum stimulatione non semel exploravimus.

DICACITATIS CASTIGATIO. CAP. XLIII.

Ita illud, τέρψις ἢ σὺ-
νείληος
Cicadam a-
la corripui-
si. Lucianus
impudendo-
logista.

Cum vero sonus ipsius animalis argutus quidam stridor potius sit, quam cantus ullus, & strepitu caures offendat, natum inde proverbium, *Cicada uterum ne scabito*: quotiens reprimenda est cujuscumque dicacitas aut petulantia, ut si pergat dicere quod vult, scurriliq; aut maledico moris impatientiorem aliquem tulerit, ipse postea repercussus, quae nollet audiens erubescat. Et quod in hanc sententiam ait Hesiodus:

Ἐὶ ἡ κακὸν τ' εἶπες, τὰ χαλὰ κείνους μείζον ἀκρόσσεις.

Et hujusmodi apud Sophoclem, Euripidem & Plutarchum plura. Proclus Diadochus putat Cicadae cantum ex alarum, qualescunque sunt, attritu provenire: ait enim, *ὁ τέρψις ἀπὸ τῶν πτερυγῶν, τὸ τέρψις αὐτῶν κτλ ἢ χον ἐκπιμπῶν*: Cicada canit alarum freta ministerio, semetipsam applodens, & strepitum imitans. Quod & Hesiodus agnoscit, *πυκνὸν αὐτὸ τέρψιζον*.

VANA GARRULITAS. CAP. XLIV.

Cur autem nonnulli vanam & inanem garrulitatem per Cicadam significari dixerint, ex Aristotele, quem non intellexerunt, desumptum crediderim, qui Platonis ideas a materia dissepata prioribus analyticis *πρῶτα* esse dixerit: quippe, ut nonnulli ajunt interpretes, nihil nisi inanem cantilenam cujuscumque garrulitate praeseferentes. Quem Cicadarum cantum ut importunum & impudentem, ita Demetrius Philosophus notat, cum a Domitiano pulsus Italia cum Apollonio quereretur: *Cicadis*, inquit, *impudē licet obstrepere, nobis ne quidem mutire fas est*. Apud Aristophanem *πτελίνας*, quae justus sermo commendaverat, injustus ait Cicadarum plena esse. Sedenim quantum ad Aristotelis *πρῶτα* pertinet, pie magis fecerimus, si dixerimus, discipulum longe honestius, quam alii putent, de praecipito suo loqui, sanctiusque sentire super ideis, quam interpretes, nostri praesertim temporis opinentur: quippe cum Aristoteles de iis tractaret quae facerent ad demonstrationem per ea, quae ipse constituit artis elementa, non objiciendas huc, ait, ideas Platonis: quia *πρῶτα* sunt, hoc est, mysticum quiddam sapiunt, atque ideo nihil ad demonstrationem qua de nos hic agimus, conferunt: ingenium illud, atque animi



πρῶτα
quid